

§. XVII.

Antea vero quam colophonem huic Expositioni addamus, breuissima etiam voculae ἀμαρτίας subiungenda est meditatio. Eam seu quamuis ἀνομίαν quodvis in genere peccatum designare, confirmant Lexicographi, quod sicuti sub impuritatis scemate exhibent loca §. X. adducta: Ita hic squalor tanta tenacitate nobis adhaerescit, ut non lixiuio tantum eluendus, sed quasi acriori sale quotidie sit defricandus Ezech. XVI, 4. quod fit per quotidianam *fidei luctam*, 1 Tim. VI, 12. Phil. I, 29. 30. Ebr. XII, 1. 4. Iud. ʒ. 3. in quo certamine profecto non segnes esse, sed improbos & indefinentes perrexisse oportet Ebr. XII, 3. non solum enim *prae foribus excubat peccatum* Gen. IV, 7. *sed et supergreditur caput nostrum* Pf. XXXVIII, 5. *inhabitat nobis* Rom. VII, 17. 20. *et circumstat nos*. Ebr. XII, 1. Ante lapsum quidem homo in perfecta sanctitate & Iustitia (adde etiam puritate) stabat, Eph. IV, 24. qua omnis maculae aut vitii expers, perfectissimam legi Creatoris poterat obedientiam praestare, in quo statu, si perstitisset, nullius purificationis, nullius sanguinis et meriti Christi factus fuisset indigus; Verum simulac locum daret peccato, legemque diuinam malitiose transgrederetur, confestim ad ambas usque aures in spurcissimas se et nos omnes immergebat fordes, in quibus aeternum haerere coacti fuisset, nisi Christus nos extraxisset et repurgasset. Ezech. XVI, 6.

§. XVIII.

Attamen, quod omnium maximum, miseris nobis subministrat solatium, non a peccatis indefinite; sed ἀπὸ πάσης ἀμαρτίας ab omni et singulo peccato nos per Sanguinem Christi emundari asserit Textus: Omnis namque, qui effusum pro omnibus hunc DEI sanguinem sibi per fidem appropriat, et in tanto λύτρωσις firma fiducia recumbit, is certe ab omnibus peccatorum speciebus a singulis peccatorum indiuiduis, quanta quanta etiam a primis unguiculis in praesentem usque horam commisit, adeo est expurgatus, ut eius nec culpa nec poena ei posthac possit esse no-
D
cua.